

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Diascepsin Hanc Theologicam De Coelo Beatorum

**Pfaff, Christoph Matthaeus
Bardili, Eberhard Ludwig
Maercklin, Friedrich Jacob**

Tubingae, 1722

VD18 15032876-ddd

§. V.

[urn:nbn:de:bsz:31-130208](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130208)

& ἐπιβόλια dona à fidelibus in terris versantibus possidentur. Eph. 1. ῥ. 3. Hinc & fit, ut Diabolus subinde in coelo compareat, quia Deus coelum gloriæ suæ ubique secum gerit Job. 1. ῥ. 6. 2. ῥ. 2. 7. (x) Dies me deficeret, si omnia ista Theologorum nostrorum argumenta, præstantissima illa, queis coelum empyreum jugulant, enarrare singula vellem (y). Audiamus itaque sakem, quomodo ii tela adversariorum, pro coelo empyreo quæ militant, eludant & dissent.

§. V.

Ajunt itaque illi, maximè antiquiores, coelum non esse locum certum eumque creatum & supra coelum si- dereum positum, sed statum beatitudinis à statu damnationis infinitis parasangis distantem, qui status beatitudinis sub figurâ loci in sacris literis metaphoricè depingatur. Ita, quando coelum idque visibile dicatur thronus & sedes Dei, θεοπροπῶς hoc, non propriè capiendum esse, quemadmodum & id θεοπροπῶς capiendum sit, quando Deus dicatur in sacris literis ascendere & descendere.

B 2

Ad-

(x) Confer hic imprimis C. E. BROCHMANDI Syst. Theol. P. 2. f. 635. seqq. B. MEISNERI Philos. Sobr. P. 1. p. 431. & B. MENZERI Opp. Theol. P. 1. p. 427. Cælum enim subinde in sacris literis denotat dominium Dei Dan. IV. 26. sub quo & sunt Diaboli, qui tamen non sunt in cælo gloriæ sed cælo iræ, hoc est inferno. Vide eundem BROCHMANDUM l. c. & MEISNERUM l. c. p. 452. (y) Vide post JO. BRENTIUM Opp. T. VIII. B. MEISNERI Philos. Sobr. P. 1. p. 439. sqq. p. 550. sqq. JAC. MARTINI Antibe- canum P. 2. p. 66. seqq. ABR. CALOVII in Syst. loc. Theol. T. 3. p. 996. seqq. & J. A. QUENSTEDIUM in System. Theol. P. 1. f. 438. sqq.

Addunt, regnum coelorum subinde describi in iisdem modò nuptiarum & epuli ad instar, Luc. 22. v. 29. 30. modò ut pascua uberrima, æstas fertilissima, civitas pulcherrima, quod tamen crassè sumendum non sit sed spiritualiter, ita & Hierosolymas coelestes modo quoque corporeo describi, licet spirituales. Apoc. 21. vf. 10. seqq. Eodem modo Prophetas Vet. Test. per ceremonias Leviticæ cultum Novi Testamenti adumbrâsse & regnum Messiaë vocabulis ex cultu Levitico desumptis descripsisse, nec tamen inde inferri tum potuisse, cultum Mosaicum adhuc in Novo Testamento duraturum. Coelum beatorum esse coelum ἀχειροποίητον 2. Cor. 5. vf. 1. Hebr. 9. vf. 24. adedòque increatum. Huic coelo superiorem quandam locum in sacris pandectis assignari non ratione sitûs, sed ratione excellentiæ. Sic ipsum Deum dici in excelsis Ps. 93. vf. 4. 113. v. 5. Luc. 2. vf. 14. quod non ἰοτικῶς de loco aliquo excelsò sed ἑσθητικῶς de celsitudine majestatis explicandum sit. Vitam æternam, uno verbo, in sacris literis describi symbolicè, figuratè, parabolicè ac hieroglyphicè, è quibus allegoricis loquendi formulis præter generalem dulcedinis & felicitatis conceptum quippiam determinare hominis foret temerarii & *ὡς ἐν καὶ ὡς ἐκ ἀπέλυτον ἀεροβατῆον* (z). Supra coelum ergò dici non ratione localis situationis sed ratione sublimis statûs & conditionis, prouti dicit David: *exaltabo te, Domine, Ps. 145. v. 1. & Deus est excelsus super omnes gentes Ps. 113. v. 4.* Nec dici posse, si cælum beatorum non sit locus & beati non sint in loco, itaque eos esse nullibi. Jam enim primò & mundum non esse in loco quodam creato & tamen non esse nullibi sed in Deo *συνιστάται*. Secundò beatos esse in manu Dei Sap. 3. vf. 1. in sinu Abrahæ Luc. 16. vf. 22. sub altari Apoc. 6. vf. 9. esse apud Deum

(z) Vide CALOV, in Syst. Loc. Theol. T. 3. p. 1103. fqq.

Deum & Christum, esse in Deo illocaliter. Hinc in terris esse posse, qui in coelis sit, uti de Angelis constet Matth. 18. vl. 10. Luc. 1. v. 26. Nullum denique id esse, quod obijciatur, cœlum beatorum esse vel creatum vel increatum. Si posterius, fore ipsum Deum, vel duo fore increata, quod absurdum sit. Si prius, dari ergo certum beatitudinis locum, qui creatus sit, dari ergo cœlum empyreum. Jam enim responderi posse, vel cœlum beatorum esse Deum ipsum, vel saltem gloriam & majestatem divinam, vel dari hîc tertium, cœlum enim beatorum neque esse creatum neque increatum sed creabile & creandum, vel cœlum beatorum principaliter esse statum, minus principaliter $\pi\tilde{s}$ beatorum, discretum à $\pi\tilde{s}$ damnatorum, idque creatum. Scilicet in partes eunt hîc Theologi, quorum varix sententiæ jam explicandæ nobis sunt & adspargenda denique nostra *ἐπιχειρησις*.

§. VI.

Sunt igitur primò, qui existimant, cœlum beatorum esse ipsum Deum (a). Ita maximè PHIL. NICOLAI (b), ita JACOBUS MARTINI (c), ita BALTH. MEISNERUS (d), ita ferè ABR. CALOVIUS (e) & J. A. OSIANDER (f), qui vero omnes addunt, cœlum beatorum esse majestatem & gloriam divinam, in

B 3

quâ

(a) Nolim verò, hanc sententiam ut affinem dicas errori Gentilium quorundam, maximè & Perfarum, qui existimant, cœlum naturale esse Deum. (b) L. 1. de omnipraf. Christi C. 8. (c) in AntiBecano P. 2. p. 71. (d) in Phil. sobr. P. 1. p. 457. sqq. (e) in Syst. Loc. Theol. T. 3. p. 1003. (f) in Coll. Syst. P. 6. p. 225. Addi potest J. G. DORSCHER de S. Cœna contra Zwingerum p. 220. ubi & Patres hanc in rem allegat, itemque in Theol. Zach. P. 1. p. 199.